

Urkundenbuch der Reichsabtei Hersfeld. Erster Band (Ed. Weirich) Nr. 112

Regi glorioso paupercula et misera Herveldensis congregatio orationes suas assiduas deo utinam acceptas. Consideratis virtutibus tuis, quod erga imperatorem nostrum et omnem rem publicam exstisti fidelis, propter quod et unxit te deus, deus tuus oleo exultationis p[re]e particibus tuis, in spem inducti sumus non sine fructu consolationis pandere tibi nostras afflictiones. Ecce enim hac quam nости et cui saepenumero interfueristi bellicae tempestatis rabie paulatim attriti ad nihilum iam sumus omnino redacti, dum in confinio positi utriusque tumultuantis populi utrobique sumus depopulationi expositi. Hac neccessitate compulsi quicquid in thesauris domus domini invenimus vitae consulendo totum iam consumpsimus, dum arcam dei, quam calcitrantes boves inclinaverant, ecclesiam videlicet, cui deo auctore deservimus, retinere cupimus, dum divinas excubias non sponte relinquiimus, dum inviti militiae nostrae abdicamus. Quapropter cum fiducia ad thronum gratiae tuae accedimus, ut misericordiam consequamur et tuae liberalitatis beneficio alicuius supplementi gratiam in monumentum benivolentiae tuae in auxilio opportuno inveniamus. Paratus est hanc vicissitudinem remunerare digna remuneratione, qui et predictis virtutibus tuis tibi contulit sceptrum regni et sedem gloriae, adiutorium super potentem ponendo et electum de plebe sua exaltando.